



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 7. Vindictæ cupiditas, quæ appellationibus eiuscemodi facilè interuenit,  
Dei exemplo contraria est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)



reddere, Paulo reclamante, petunt, formidando Dei decreto, inimicos suos è medio tolli, atque ad Tartareos ignes condemnari.

§. VII.

*Uindicta cupiditas, qua appellationibus eiusce-  
modi facile interuenit, Dei exemplo  
contraria est.*

Si quis exempla vult imitari, habet sanè exempla, atque in primis ipsius Dei. Quamobrem Christus, cum dixisset: *orate pro* Matth. 5.  
*persequentibus & calumniantibus vos, statim* 44.  
*exemplum subiungens dixit: ut sitis filij Patris  
vestri qui in caelis est: qui solem suum oriri facit  
super bonos & malos: & pluit super iustos & ini-  
ustos. Sedit, in caelis, Deus, & audit quo-  
tidie homines sibi maledicentes, impiòsq;  
dirissimè conuiciantes ac blasphemantes; &  
noua semper scelera excogitantes, quan-  
tùmque in ipsis est, giganteo ausu, diuinam  
maiestatem è caelo deripere conantes: audit  
ista, & videt, & patitur. Quid dico, pati-  
tur? cum habeat potestatem mittere in ge-  
hennam, &, missis è nube fulminibus, ta-  
les exterminare; sustinet illos, *solem suum  
oriri facit* illis, pluuiam mittit, vt terra, ad  
eos alendos irrigetur: nec hoc tantùm fa-*



S. Chry-  
sost. hom.  
78.

1. Petr. 2.  
23.

Luc. 23.  
43.

cit, sed etiam mittit illis angelos suos, qui eos in viam, atque ad æternæ gloriæ semitam reducant. Pulcherrimè aureū illud os: *At, inquires, calumniam passus sum, & ferre iubes equanimiter, & quo modo potero? Facillime profectò, si tantùm in calum respicias. Cigita, quòd illic super Cherubim sedenti factus es similis: nam & ille contumelijs affectus fuit, & toleravit, & opprobria pertulit; nec ultus est; percussus, & non insurrexit, sed e contra reddidit beneficia his, qui talia perpetraverant, nosq; iussit suos imitatores esse. Calum deniq; respice, & postea qua te Deus suscepturum promisit, si generosè feras. Christi igitur nobis præluxit exemplum, cui, cum vita, per summam iniuriam, infami morte, eriperetur, tamen ad alterius vitæ vadimonium neque Iudæos, neque Pilatum, neque carnifices, neque vllum alium euocavit, sed cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste. Latroni quoque paulo priùs conuiciato, non dixit: *Hodie mecum eris in Iudicio*, sed, *Hodie mecum eris in Paradiso*. Pro illis autem, qui, non contenti, eum flagris lacerasse, & clavis in crucem adegisse, insuper etiam ei illudebant, auream illam orationem*

ratio.



rationem fudit: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23, 34.

§. VIII.

*Quàm sit à Sanctorum exemplis alienum, iniustis vindicijs ac sacramentis alijs iudicium Dei petere?*

Hanc Magistri sui heroicam patientiam ac fortitudinem imitatus est aliorum quoq; Sanctorum ingens numerus. Atque primus quidem Stephanus, qui inter lapidantes, pro lapidantibus orans dixit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Deinde & Paulus, qui de se scribit: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui in vitam ipsius obstinatissime coniurauerant.* His è diametro aduersantur, qui, mortalis vitæ causa, Deum iudicem appellantes, illaudabili verborum metamorphosi exclamant: *Ne ignosce, Pater, sed indica, vindica; statuas illis hoc peccatum. Non sim ego anathema pro fratribus meis, sed illi pro me sint anathema.* Neque multi martyres huius appellationis ius vsurpare solebant, licet innocentissime, crudelissimeq; occiderentur. Quin potius, post acceptam iniquissimæ mortis sententiam solennes eorum voces erant, vt exclamarent: **DEO GRATIAS**, quod di-

L 5 fertè